

## **Schenkungsurkunde: lateinischer Text**

Concessio domni imperatoris Karoli seu traditio Helmouini comiti ad Suualafeldun Perneccarium est omni omnino christiano aeternae sibi retributionis gaudia irtis praesentibus comparare. Ideoque in dei nomine Ego Helmoi-nus divino instinctus amore cogitavi aliquid pro remedio animae meae in meam aeternam mercedem ad loca sanctorum delegare; sed dum de quiburdam rebus eram in contentione, quas mihi in hereditatem evin dicare conatus sum.

Contigit me a missis domni Karoli gloriosissimi regis esse convictum et quod quesivi cum justitia, ut supra diximus, in hereditatem obtinere non potui, sed in potestatem dominationis nostrae propriam id ipsum, unde questi sumus, redactum est, quod Ego volens nolensque cum omni justitia consentire coactus sum.

Quod ita et feci et crediti hoc me in proprietatem meam ad sequi non posse.

Audiens autem hoc clementissimus atque christianissimus magnus rex Karolus divina inspirante gratia in elymosinam sibi sempiternam concessit mihi per suam misericordiam in hereditatem perpetuam id ipsum, quod quesivi et quod per justissimam examinationem esse suae proprietati adeptum est.

Eo tenore mihi eandem sub confirmatione concessit, ut mea esset potestas sicut de ceteris propriis meis donare tradere, ubicumque voluissem, pro aeterna mercede atque pro salute animae meae. Ea igitur mihi a dementissimo rege potestate concessa de ipsa re disposui tradere ad episcopatum Frigisiensis ad opus sanctae Mariae semper virginis territorium una cum omni confinio pertinente ad loca nominata Kaozesheim, Chuningesheid et Chriechesstat cum omnibus mobilibus vel immobilibus ibidem pertinentibus cultis et incultis silvis pratis campis pascuis aquis aquarumve decursibus omnia ex integro in pago nominato Suualafelda super fluvio Suualanna.

Quod ita et feci omnia supradicta id est Kaozesheim, Chuningesheid et Chriechesstat cum omni confinio supradicto ad loco qui dicitur sampin saolla usque ad Cozesheim et exinde tendit in visu juxta rivolum usque ad magnum rubum, quod vulgo dicitur nidar pi deru lahhun za deru mi-hilun eichi, deinde per locas terminatas, id est in longitudine antlanga Caozeslahhun usque ad Caozesprunnun, similiter et in illa silva, quae pertinet ad uuemodinga, ut ibidem habeant rectores ecclesiae ipsius potestatem ad cedendum materiamentum, quantumcunque opus sit, atque lignamenta ad ignem seu viam ire et redire pastumque porcorum habeant illic sufficienter abque ulla contradictione ut haec exinde nullus abstrahere audeat.

Nunc autem haec, quae supra dicta sunt, omnia in elymosinam domni gloriosissimi Karoli regis et filiorum ejus nee non et pro salute animae meae cum ipsa cartula donationis Ego Helmoinus dono trado atque firmabo deo omnipotenti et sanctae dei genitrici Mariae in praedicto loco episcopo frigisingas, ubi pretiosus beatus Corbinianus eximiusque Christi confessor in corpore requiescit ibique venerabilis Atto episcopus praesens videtur.

Et reliqua confinia et loca per circuitum, quae Keroldus comes ibidem habere in beneficio domni regis videbatur, et ipse Keroldus per missum suum nomine Adalunc vestivit de ipsa supra scripta loca et perduxit eum in circuitu et ostendit Uli confinia, quae legibus ad eum pertinebant, ipse Helmuni, ut supra diximus, pro mercede domni regis manibus suis tradidit ad supra dicto domo sanctae Mariae.

Ea vero ratione ipsam traditionem firmabo, ut quicquid exinde rectores ipsius ecclesiae

facere voluerint, liberam in omnibus habeant potestatem et hanc donationem nullus coheredum vel proheredum meorum frangere licentiam habeat, sed meis et me rogantibus bonorum hominum manibus confirmata, quorum nomina vel signacula subtertenentur iniecta aeternum tempus maneat in convulsa.

Actum in episcopia frigisingas ecclesiae sanctae dei genitricis Mariae coram multis adstantibus anno XXV regnante domno gloriosissimo rege Francorum et Langobardorum atque patricio Romanorum indictione II

Signum + Helmoينو comiti, qui hanc donationem fieri vel firmare rogavit

+ signum Hadumario filio eius consentiente

signum Aotker test.

Hiltiger test

Deotfrid pb. test

sig. Epucho t.

Rihpald pb. test

sig.+ Paldilo

Anno pb.

sign. Heriolt t.

Hitto der.

sig. Egino test

Arnolt cler.

Einhart pb. test

Altmann eliac.

Sandrat pb. test

Ekino laic.

Et alia traditione ipse Helmoינו et filius ejus Hadumar pariter ambobus firmaverunt ipsam traditionem, quam antea fecit ipse prefatus Helmoינו, quando iter carpebat partibus Romae et haec sunt testimoniales:

in primis domnus Atto epis.

ipse Helmoינו test.

Hununc pb.

et Hadumar filius

Bern pb.

ejus testes.

Sandrat pb. Adalhoh pb. Salomon monach

Ego quidem Horskeo pb. hanc cartulam scripsi et subscripsi.